

## De R. P. Iosepho Srna (1796-1876)

In archivo nostro generali. vol. XII, 36, reperitur hic inserta effigies P. Iosephi Srna, plumbo delineata in scidula 9 x 11 cm. a P. Cyro Cosma Leroy (1), et P. Leopoldus Ottmann (2) a tergo Patrem Srna vocat « amabilem et admirabilem » et testatur 13.IX.1879 se continuo similem delineationem ante oculos habere.

P. Srna est unus ex praeclaris illis discipulis S. Clementis, qui eius spiritum ad posteros transmiserunt, sed nunc, proh dolor! oblivione quasi obruti iacent. Natus in Moravia, in Budejovice seu Budweis festo illius gloriosi Patriarchae, cuius nomen in baptismo recepit, 19.III. 1796, eandem cum S. Clemente terram natalem habebat, et a. 1815, Vindobonae studiis vacans, ab eo ad tantam familiaritatem admissus est, ut per triennium cum eo cohabitare sine-  
retur. Itaque tanto plus valet testimonium, quod P. Srna postea in processu beatificationis de S. Clemente dedit, et quod integrum legi potest in *Mon. Hoff.* XI, 53-67. Mirum, quod toto illo tempore nil a P. Hofbauer audivit de eius in Congregationem admissione, quae hodie dum quibusdam tenebris obscuratur.



(1) *Cyrus Cosmas Leroy*, natus Insulis (Lille) 23.IX.1812. Congregationem ingressus sacerdos, vota professus 25.III.1844, fortuito extra suam Provinciam Gallico-Helveticae mortem occubuit 24.VIII.1886; nam senex 74 annorum Tornacum (Tournai) se contulerat, ut « ultima » sua exercitia spiritualia, ut ipse aiebat, ibi sub « sancti » P. Huchant moderamine perageret. Revera vespere decimi diei, post peractam Viam Crucis, exanimis condidit. O fortunatum virum! Cf. *Mémorial Alphonse*, p. 424.

(2) *Leopoldus Ottmann*, natus in Nordheim, dioecesis Argentoraten., 3.VIII.1805, exeunte a. 1847 a P. Passerat nominatus est tertius Superior Provinciae Gallico-Helveticae. Ergo eam gubernavit illa periodo inquieta, cum P. Passerat munere se abdicavit (1848) et Provinciales Transalpini a Rectore Maiore facultates Vicarii Generalis receperunt. A. 1850 eum exceptit in regenda Provincia P. Mauron. P. Ottmann diu etiam in Belgio laboravit, Tornaci et Trudonopoli; immo 1859-1862, cum domus Luxemburgensis iam ad Provinciam Germaniae Inf. pertinebat, ibi fuit Rector. Ibidem etiam 29.I.1881 vitam terrenam clausit, quamquam interim denuo in Gallia vixerat. In *Mémorial Alph.*, p. 59, minus recte eius provincialatus indicatur 1848-1851.

Mense Martio 1818 Iosephus Srna missus est in Helvetiam, ut ibi sub P. Passerat suum tirocinium perageret. Secum portabat sequentes litterulas S. Clementis, quae cum suis mendis hic ita referuntur, ut exstant in nostro archivo Romano, vol. XII, 36.

*Copie fidèle.*

*Mon cher Frère!*

*Je vous envoie celui qui vous apporte cette lettre, un jeune homme de meilleure qualité, faites pour lui tout ce que vous aurez fait pour moi, il faut le dispenser comme Novice qu'il puisse faire progrès en Science. Il est pieux, et prie constamment et d'une manière ardente. J'espère qui rejoindra ton cœur (sic) ma lettre écrite en françois sera parvenue jusqu'à toi. L'adresse est comme tu le sais (sic): le Monsieur le Secrétaire de son Altesse le Prince de Metternich, Joseph de Pilat Dieu bénisse toi et les Tiennes, comme je le prie toujours — je suis Ton frère qui l'aime tendrement.*

Le 6 Mars 1818.

J. C. MRA H; C; S; S; R: (1)

In eodem folio P. Srna in senectute hanc adiunxit attestacionem:

*Ego, senex Sacerdos SS.mi Red. testificor, hoc manuscriptum vere authenticum esse Servi Dei Clementis Mariae Hofbauer Vicarii generalis SS.mi Redemptoris; per quod notum fecit R.do Patri Jos. Passerat Rectori in Collegio Vallis-Sanctae apud Helvetos me jam admissum in Cong: SS.mi Red.: fuisse.*

*Hoc Manuscriptum supra dictum reverenter servavi usque hanc Diem, ut Reliquias Servi Dei, quem tanquam Sanctum consideravi; persuasum etiam mihi erat, eum penetrare intima cordis, consideravi eum tanquam a Deo pro Coelo praedestinatum; firmai (sic) fui persuasionis, fore ut quondam ad altarium honorem elevaretur, hancque opinionem indelebilem usque adhuc retinui.*

*Ego Ego Ego Ego*

P: Jos: SRNA SS.mi Red:

Iosephus Srna 15.IV.1818 cum illa epistula venit ad P. Passerat in Cerniat; nam asceterium Vallis Sanctae nondum erat inauguratum a nostris. Id factum est d. 12 Maii eiusdem anni (2), et Iosephus noster fuit primus, qui ibi in fine anni a P. Passerat nostra sacra veste indueretur. Connovitum habuit famigeratum Hebraeum Iosephum Wolff (3), et vota nuncupavit post redditum P. Magistri Passerat ex Alsatia, octavo die post obitum S. Clementis, 22.III.1820. Iam 22.IX.1818 fuerat diaconus (4), sed sacerdotio non est auctus nisi 27.V.1820.

(1) *Mon. Hofb.* XI, 66, nota 4, habent textum minus fidelem.

(2) *Mon. Hofb.* XV. 93.

(3) L.c., XIV, 87 s.

(4) L.c., p. 45.

Semper in Helvetia et Gallia vixit, praesertim in tribus domibus Friburgensi (a. 1847, in violenta expulsione, erat Rector) et Montis Episcopalis (Rector ibi 1848, Minister 1856) et ultimis 9 annis S. Nicolai a Portu, quam domum nuper dimisimus. Ibi sanctam vitam morte sancta finivit 2.III.1870, aetate 74 annorum (1).

C. HENZE

---